

Andreas Jessen von

## **Suavia Sacra : Cum annexis meditationibus**

Hamburgi: Rebenlinus, 1637

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769157076>

Druck Freier  Zugang





*F.m. - 3661<sup>1-3.</sup>*

*F. m. 366<sup>1</sup>-3.*



42.7. **SUAVIA**  
**SACRA**

Cum annexis meditationibus.

*In ligatâ & prosâ oratione,*

AUCTORE

**A NDREA JESSENIO,**

SS. Theolog. Cando.



HAMBURGI

*Typis* **JACOBI REBENLINI,**

*ANNO Christi 1637.*

*Im. 306/3.*

211 VIA

222 ARA

Cum annexis in medicina

libris & scripturis



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a date or a reference number.

211-222



ANDREÆ JESSENI  
SUA VIORUM  
SACRORUM LI-  
BER PRIMUS.  
Sponsæ basiantis.

AD

*Serenissimum ac Potentissimum  
Principem ac Dominum*

DN. CHRISTIANUM IV.  
REGEM DANIÆ NORVEGIÆ  
VANDALORUM & GOTHORUM  
DUCEM SLESVICEN. HOLSAT. STORMAR. &  
DITHMARS. COMITEM IN OLDENBURG.  
ET DELMENHORST.

*Dominum meum Clementissimum.*

 Unt in amœnioris nota  
Poëtis, SERENISSIME  
ac POTENTISSIME REX,  
DOMINE CLEMENTISSIME,  
A 2 qui

qui omne myrothecium Veneris vi-  
dentur insumsisse in scitissimorum a-  
liquot Poëmatum compositione, qua  
salutari basia assuevere, vel ob styli,  
& inventionis suavitatem, quâ inter  
legendum ceu basiis lectorem viden-  
tur affectisse: vel ob casti amoris cum  
adamatâ oppignorationem, quò per-  
petui memoriam nexus ista bac basia  
loquantur inter basiandum nata.  
Id, quod plausibilis evincunt tot  
insiti amoris amœniore sales, quibus  
abundant affatim, ita, ut dubitare  
non sit æquum, ipsos dum talia scri-  
psere, arsisse interius. Interim,

Illecebra sunt hæc, & crustula danda  
puellis.

Quantum verò hi viri ingenio ad le-  
porem nati, otij atq; operæ in molliũ  
puellarum Erotopegnijs collocave-  
re, tantum insumpturus ero in alio  
ardoris genere, jure longè potiori, a-  
leam jacturus, nunquid castos cœle-  
stis

his amoris igniculos in legentium  
mentibus valeam excitare, quò lon-  
gè purior ergà dilectum nostrum, qui  
est speciosus formâ præ filijs homi-  
num, in stomacho flamma astuare,  
incipiat, quæ majorem, magisq; tu-  
tam in recessu contineat suavitatem,  
supra omnes, omnium sub Veneris  
regno vapulantium, delicias. Quo-  
niam frui Jesulo suo, res est mellitif-  
sima cordi, bujus, si penetrabile per-  
means, suavitatem post se relinquat,  
hoc est suaviolum animarum, quo  
se potimur, coelo potiti sumus, atq; æ-  
terna, suo modo, beatitudinis vesci-  
mur aurâ. Quia tunc ejus, quem a-  
mamus, amore fruimur,

Πρᾶγμα δὲ τετραπλότου ἔτις ἐ-  
στὶν, τὸ τυχεῖν.

Huic suavitati ut se prepararet sponsa  
Christi, aliquot etiam (versibus li-  
cet parum exasciatis) exemplo secu-  
larium

larium Poëtarum suavia sed sacra,  
chartis delineavi, Quibus hoc primo  
libro, sponsa, (anima fidelis) suavi-  
at, ad quæ sponsus cœlestis (Christus)  
in secundo replicabit sua.

Hisce suaviolis, ceu cœlestis amo-  
ris τερμηνείοις delectari juvenibus,  
senibusq; æquè jucundum erit, atq;  
bonestum. Tantum corpora comi-  
tatur senilis languor, anima (sponsa  
Christi) semper instar palmæ virescit,  
pulchra est, & macula non est in illa,  
flos ejus nunquam atteritur, sed re-  
novatur in amore Domini, sicut a-  
quila, juvenus ejus: vegetum sem-  
per amorem adspirat ori basiantis  
DEI, atq; sic est, in aeternis virens pu-  
ella, per gratiam, hinc, donec aeternum  
florebit per gloriam, illic, in renova-  
to corpore, mista beatorum πολι-  
τεύματι, ubi erit nō numero fluens,  
sed numero permanens ævum. Selegi

Pf. 103,  
15.

ad hoc negotium ex sacris sententio-  
las, quibus singulis ejusdem ferè cum  
suavio argumenti meditatiunculam  
subjeci, interdum ἐξηγητικῶς,  
quia plerumq̄, prosâ oratione loqui-  
tur propriè, ubi ligata allegoricè allu-  
dit Ἐποητικῶς. Caterùm, ad Sere-  
niss. Maj. vestem aram appendere au-  
sus fui, partim, quia non sum nescius,  
Sereniss. Maj. vestem pietatis esse  
retinentissimam; partim verò, quia  
primum hoc juvenile ingenij mei ἐπι-  
θετοῦ boni consultum iri ex animo  
confido, fretus insitâ Regiæ bonita-  
tis indole, quæ alius assurgit, dum se  
humilius deprimat, Ἐποητικῶς parvulam Mu-  
sam despectui non habet, quemad-  
modum nec Hercules desit esse ma-  
gnus, cum parvas Molochi casas  
subiret. Suo tempore adultiorem  
Musam consecrabo Sereniss. Maj.  
Vestem quæ interim Regiæ clementiæ

auram subiectissimo serculo adspiret  
benignissime, atq; ita in Domino va-  
leat diu, diutissime. Dab. Feven-  
stadij M. Augusto Anni 1637.

Sereniss. Maj. V<sup>z</sup>

Subiectissimus servus

AUTOR.

Ad

AD

Præstantissimum Dominū Andream

Jessenium calidissimo pectore JESUM

SALVATOREM SUUM blandè

suaviantem.

**U**Rit amor sursumq; movet qua pectora condunt,  
Quoque minus lateat vis generosa, facit.  
Cum primis sufflata velut consurgit in altum,  
Instructumq; docet flamma calore focum;  
Sic quod in obscuris votis hærescit amantis  
Profilit eloquio, dum jubet ipse amor,  
Et qualis mens ipsa fiet, quid & ipsa volutet,  
Qua mox erumpunt, signa notanda probant.  
Ergo JESSENI JESU dum suavia pargis,  
Suavia suaviloquis condecorata metris.  
Quid foveas animo, quis amor tua viscera tangat  
Quid cura & cordi, sunt ea signa, puta.  
Urit amor JESU, flammâ nec deficit unquam,  
Sed mage quò JESUM suspicis, urit amor;  
Illeg; tum mentem, tum lingua intendere nervos  
Edocet, ut varios proferat ore modos.  
Ille movet calamum, scribendaq; dicit at ille,  
Nescit & immotis delituisse labris.  
At precor ut redamet sui amantem semper Jesus,  
Mutua detq; tibi suavia promptus amor.

A 5

Imo

*Imo cen sponsus celer est, ad suavia sponse,  
Reddere multiplici fœnore quant a valet.  
Sic parili affectu JESVS compenset amoris  
Suavia, perpetuo reg. favore bect.*

Ita ex animo precor

M. Christophorus Strauß  
Rensburgensis & vicinarum  
Eccles. Præpositus Regius.

In suavia ejusdem Ode  
Germanica.

**K**üssen ist ein Edle Frewde  
Wann das Herz von Liebe brennt/  
Küssen ist der Buhler Wende  
Damit Lust wird nachgerennt/  
Küssen leicht die Sorg vertreibet/  
Wann man in den Schrancken bleibet.

Küsse nicht was dir beliebet/  
Sondern was dein eigen ist/  
Frembde küssen sehr betrübet/  
Denn es ist des Teuffels List/  
Der zu solchen küssen neiget  
Vnd damit die Leuf betreiget.

Hastu deines gleichen funden/  
Daß du werden wilt ihr Mann/  
Küsse die zu rechter Stunden/  
Weil sie wieder küssen kan!

Dessen

Dessen darffstu dich nicht scheuen!  
Weil du sie zur Eh' wilt nehmen.  
Vnd so du sonst lust zu küssen/  
Daß das küssen dir nicht schad  
So kanst' ja das küssen büßen/  
Wann du Gottes Huld vnd Gnad  
Mit den Glaubens Kuß empfangest  
Vnd ihn durch die Lieb' anhangest.  
Liebes Brunst in Gottes Herzen  
Machet seines küßens viel/  
Daß er vns in Noth vnd Schmerzen  
Küßet gleichsamb ohne ziel/  
Dazugleich dann Trost vnd Leben  
Vnsern Herzen wird gegeben.  
Selig ist nun der das mercket/  
Vnd der sich zur gegenlieb'  
Durch den Glauben also stercket  
Daß das küssen er verüb/  
Mit Gebet vnd steten Loben  
Seines Schöpffers hoch dort oben.  
Denn ist küssen eine Frewde/  
Wann sein Herz von Liebe brennt/  
Dieses küssen ist die Weyde  
Da mit lust wird nachgerennt/  
Hiemit er die Sorg vertreibet.  
Wann Er fäst dabey verbleibet.

M. C. S.



In libelli argumentum.

**S**tructure basis est stabilimen; basia dulces  
Consolidant in ite fœdus amicitia. (bene  
Suave rubent, redolentq; rosa, quando oscula præ-  
Suavia, quod dici suave meretur, habent.  
Sed non spurca probo. Fœmella abigenda labella,  
Quæcunq; alterius jure revincta viri est.  
Pocis idem: laudo, mirorq; libidinis annos.  
Faxit nos soli Jovæ placere sibi.

Idem:

**D**em Lieche wie ein Lieche geküßet wird angekün-  
det  
Gleich so der Liebe Brunst im Herzen wird ent-  
zündet/  
Durch Küssen. Küße nicht/ wer nicht zu küssen ist;  
So du wilt küssen recht/ so liebe Jesum Christ.

Amoris declarandi causâ in  
gratiam auctoris præ-  
figi voluit

Johannes Hamerich Scholæ  
Rensburg. Rector.  
Bene-

*Benevol Lectori S.*

**Ο**λλὰ περὶ θεῶ ἀνθρωπο-  
παθῶς λέγονται ἀλλὰ  
θεοπρεπῶς νοῦνται. Re-  
gola est hæc Theologica, quam,  
ut in alijs anthropopatheijs, qui-  
bus scriptura utitur, observare  
convenit, ita & hic, ubi nobiscū  
Deum introducimus suavian-  
tem. Si enim Deo attribuitur,  
risus, odium, gaudium, & id ge-  
nus aliæ affectionum voculæ,  
quibus res diviniore captui hu-  
mano insinuat divina voluntas,  
quidni & suaviolum eadem fa-  
cilitate liceat attribuere? ad ex-  
primendum fragrantissimum  
Dei amorem, quo nihil sublimi-  
us in Deo cogitari potest, quem  
verbis

verbis assequi non valemus.  
Quemadmodum enim inter de-  
spolatos castum suaviolum fla-  
grantis amoris symbolum exi-  
stit, quo arctissima inter duo cor-  
da connotatur unio, quippè,  
dum junctis oribus halitum hali-  
tulo, miscēt, junctis quasi animis  
uno spiritu vivendum esse reve-  
ra commonstrant: Ita Cœlestis  
sponsus, quoties suavissimè per  
amorem nos alloquitur in scri-  
pturis, toties suaviare, imò ora  
halitalosq; nostros advocare vi-  
detur: Vicissim nos, quoties sua-  
vissimas consolationes, promif-  
siones &c. Ex cœlifuo Israëlīs  
fonte devotè meditando imbi-  
bimus, Deum exosculari vide-  
mur, atq; ipsius testificanti in no-  
bis Spiritui arctissimè jugi. Qua  
conjunctione æternum juncti  
mane-

manebimus indissolubili nexu.  
Cui enim Spiritui homo conso-  
ciabitur in hac vita, ab eodem in  
alterâ non separabitur. Sit igitur  
nostra cum Deo conjunctio, ut  
sentiamus, quàm mellitula olcu-  
la per verbum & sacramenta fi-  
gat animabus nostris. Hisce sua-  
violis pascamur, ut subinde siti-  
entes sponculo acclamemus: o-  
sculetur me osculo oris sui. Vale  
benevole Lector, atq; Deum tu-  
um suaviare dilce, id est impense  
amare.



## AD GERMANIÆ POETAS

AUCTOR.

*B*asia virginis furtim decerpta labellis,  
Usq; novo Venerem vate carere vetant:  
*B*asia suavidicis salium madefacta salivis,  
Carmina dictarunt parthenopæa viris  
*B*asia floridulis quotiens facunda puellis  
Quisq; tulit, scripsit carmina virginibus.

Lassu-

*Lassulus ingenium numeris dum fortè levabas,  
 Adstiterat numeris Doussa, Rosilla, tuus;  
 Margaris eximio versu mûltasse Muretum,  
 Melissum potuit pulchra Rosina suum;  
 Rossa dat Heinziaca vires animosq; Thalia,  
 Julia dictavit culte Secunde tibi.  
 Sed postremus ego Christi percellor amore,  
 Suaviolis rapior Vinule Christe tuis.  
 Dum rapior referam tua carmine SVAVIA, mentis  
 Prima mea spoliū nulla puella ferat!*

AD SPIRITUM CHRISTI

προσφωνηματικόν


 Αιδες αἰ λεγάλοιο θεῶ, ἐνὶ χείλεσιν αἰῶν  
 Πνεῦμά μεν, εὐχομένους πᾶσιν ἐπερχό-  
 μενον

Πρῶτὶ δε αὐτὸς ἐγὼ ἀφιλῶ πὲ φιλήματα χριστῶ,  
 ἤσοιμι χάρτις ἐγράφ', ἐρωτᾶριον,  
 ὄρανίν ἰησῶ θαμβῶν χάριν, ἡ δὲ ἐρώτων  
 Σμύχει ἐμὴν κραδίην τ' ὅσ' ἐαμῶ φλεγέθει  
 Κλυθί μεν, αὐτὴ ὅταν ἰησῶ χαριέντα φιλήσω  
 Χείλεα, τ' εἰς χεῖλη τὴν κραδίην ἐρύων.  
 Ἐκ ροδέων χειλῶν πυλίδ' ὅτ' ἐνὶ ἡ περιβομβεῖς,  
 Εἰσίδί μεν καὶ νῦν εἰς σῶμα καὶ κραδίην  
 Πηξάμῳ πὲ φιλήματα, δὸς μοι ἑκείνα  
 Ρήμασιν αἰμυλίοις αἰνέσαι εὐφραδέως.

SUA.

S U A V I U M I.

F I L I O D E I

Θ E A N Θ P Ω Π Ω.

Sponso & Amorigeo,

*Humilimã invocatione aduolvor*

S P O N S A.

Esa. 65.

Unus ex cœlestibus Seraphim carbone  
ignito tetigit os Elaia, & statim  
mundata sunt labia ejus.

*S*uaviolis, mea Vita, tuum tractasse labellum,  
Excruciat sensus, exanimatq; animam,  
Pulcher es, ah iterum es mihi Sponse venustule  
pulcher,

*Pulchri rara Dei, sanctaq; norma tuies.*

*Flammicos cerno, (cerno cita fulgura) ocellos*

*Iratos esse fulmina, quis dubitet?*

*Qua liter aurato lucent purissima vultu*

*Cerula, cum medio sol parat ire polo;*

*Taliter innitido fulges candore, coronâ*

*Splendidulâ frontem circummeunte tuam.*

*Purpureaq; genæ, niveâ dum fronte die scis,*

*Ceurosa qua rubeo purpurat ore, rubent.*

B

Mollia

Mollia Purpureisq; (misella quid audeo?) pergo  
Suavia, at impuro pangere dente genis.  
Pura decent puros, impuro sanguine creta,  
Labra Dei labro jungere, flagitium?  
Ut vidi, obstupui, (quia sordibus obruta) Christe  
Ora Pyrenæa candidior a nive.  
Si foret in mundo sordes que lympha lavaret,  
Prima mihi sordes cura lavare foret.  
Lympha susurranti trepidans pergramina rivo  
His daret impuris irriguum labijs:  
Ipsa meis lachrymis torrentior amne soluta,  
Eluerem, mendas si lachryma eluerent.  
Si tua quid, forma studiosa puellula, si quid  
Inquam, pixis aquæ mundificantis habet,  
Affer opem! scabra tangunt robigine malas,  
Quas tua, sordidula, proluat unda, nota.  
Sed misera erravi, quoniam nec lympha; nec unda,  
Nec lachryma maculas emaculare valent.  
Tam penitè facies sor descit ut omnibus undis  
Haud Thetis equoreo proluat aucta salo.  
At verò os Domini captat deforme labellum,  
Discupit & refugit tangere suaviolis.  
Suaviolis hinc, Vita tuum tractasse labellum,  
Excruciat sensus, exanimatq; animam,  
Ardor in excelsis est: flammant dū vota medullas,  
Hæc indigna nimis dejicit ora pudor?

Fulgure

Fulgure purpureo Jova flammantis ocellos  
Viderat, & labijs Esaias metuit.

Attamen ignito pergens carbone per ora  
Suppetias labris fert Seraphina manus.

Quis Seraphim nostrum purgat carbone labellum,  
Ut pura Jesu mente bibatur amor?

Ut puri liveat gaudi per pura labellorum  
Oscula cum Jesu multiplicare vices?

Ipse fer ignitum calido pulmonis ab imo  
Ore replantatum Jesule basiolum,

Sic amor ignito tangens carbone labellum  
Absterget toto dedecus ore meo.

Sic prior ignito si uras mihi labra favore  
Intima per purgans perget ad ossa vapor.

Quin mea amorosis semel ignibus ora vapora,  
Redde sua violis digna labella tuis.

Sanguinis ecce tuus rubeo me rore notavit,  
Elegitq; effem munda puella, favor,

Num dilecte tuam turbabis ab ore puellam?  
Vivat sua violis, Sponse, puella tuis!

## MEDITATIO.

**A**liquid amari est in amore tui, dul-  
cissime JESU, si humanitùs con-  
templor; Dissimilima tui, te amare  
occipio, & non possum quidem non  
amare illud facundum pectus amoris,  
quod penitus de amavero fibris,

*Dura,*

*Dum memor ipse mei.*

Atqui, quia speciosus es, pulcherrime  
sponse, nunquid redamaveris de-  
formitatem? Pulchritudo es, quia speci-  
*Pf. 45. 3.* osus formâ es, præ filiis hominum; e-  
go deformitas ipsa sum: purus es, &  
*ἀνεμαρτητός*; ego volutor in panno  
*Ef. 64. 6.* menstruato: sanctus es; ego verò pol-  
*Esa. 6. 5.* luta labijs sum. Et tanta est immundit-  
ties mea, ut eam eluere non valeam  
omnibus Oceani undis. Animi excru-  
cior, dum cogito deformitatem ist-  
hanc, in tam pulcherrimo amore! Hei  
mihi! propterea exclamat S. Esaias,  
quidni clamarem ego, quæ multò in-  
ferior sum Esaiâ? Nunc cuperem al-  
loqui Dominum, tamen si ego sim  
pulvis & cinis, inquit pater fidelium,  
*Gen. 18.* Ego verò herum indigna sum solvere  
corrigiam, & ecce plus cupio. Nempè  
non alloqui modo, sed & inrimo amo-  
ris Domini affectu perfrui, atq; ater-  
nâ oris vesci ambrosiâ, imò Domino  
viventium adhærescere sponsa, cum  
*Eph. 2. 1.* mortua sim in peccatis. Quùm talis  
esse velim, quis me liberabit ex cor-  
*Rom. 7,*  
34. pore mortis hòc? Tu facies Domine  
per

per amorem tuum. Non enim digna  
sum, quæ te amem, nisi in amore tuo,  
quo me prævenire dignatus es, quo  
ego accensa cum antea te non ama-  
rem. Novi enim ignem esse amorem <sup>1. Joh. 4,</sup>  
tuum, quo accenduntur frigida, pur- <sup>10.</sup>  
gantur sordida. Spiritus S. igneus a-  
mor patris atq; tui est, à quibus inef-  
fabiliter procedit, hunc ignem trans-  
funde cordi meo, ut totum fiat igni-  
tū & fulgidū, hoc combure sordes in-  
quinationis meæ, atq; sic cor mundū  
crea in me Deus meus, & spiritum re-  
ctum innova in visceribus meis. *Igni-Ps/51, 12.*  
tum cor, linguam quoq; igneam red-  
dat, ut digna sit delibare cœlestes a-  
mores, æterno hymno decantandos;  
ut prodiga fiat tota laudum, ut purga-  
ta æterni ignis carbone, solutaq; car-  
cere carnalium immunditierum, pu-  
rissimo suavio degustet suavitates *P/34, 2.*  
tuas quibus imbuta fiam ipsa suavis in  
conspectu oculorum tuorum, quò sic  
purgata igne tuo, & lota rore bap-  
tismatis tui, experiar nihil amari am-  
plius esse in amore tui.

Amen.

B 3

SUA-

## SUAVIUM II.

*Profundamento suaviorum panens desponsationem Christi, (sponsi) cum anima (sponsa) fidei.*

Hosea. 2. 19.

Desponsabo te mihi in seculum, desponsabo te inquam mihi iusticiâ iudicioq; & benignitate ac misericordiâ, & desponsabo te mihi fide, ut agnoscas Jehovam.

**N**unc me favore Jova suscitet suo,  
Nunc prospera sit; nunc lepore perpluat.  
Sacro labella, defluentem limpidi  
Fandi scatebram floretingat eloqui,  
Ut virtuosa corde ducta gaudia,  
(Sponsa potita queis fruisca gaudijs,)  
Oris nitefcant largiore flumine.  
Huc Candidata, MENS, beatitudinis,  
Huc perge; quò vocat serenus impetus,  
Hilaris vagare; fronte tangens sidera,  
Sublime lato commoda celo caput;  
Latere, Spontis tota res sit hac tua,  
Mundus relictis migret è precordijs,  
Mundiq; corde imagines secludito;  
In valle sola cordis, in sedilibus

Thalami

Thalami latentis, in recessu pectoris  
Tecum morare. Si quid in sinu latet  
Minus venustum, suscit abulum probri,  
Longinquo terminato limine  
Divinioris à sacrario tori.

Tecum morare, nuncupaberis dehinc  
Dei virago, sponsa, amœnitatibus  
Ergò venustam te exhibere convenit,  
Ac cœli sponso litare adorem,  
Thalamumq̄, fronde munerare mysticâ,  
Sparsis odorum prodigâ gazis manu,  
Rosiq̄, quot quot hortus educat tuus,  
Ac flosculorum de virore servijs,  
Violisq̄, odoris, candidisvè lilijis,  
Lavandulâ, cum stæte, cumq̄, cinnamo  
Opobalsamo, thymoq̄, cumq̄, saccharo.  
Aut siquâ pectus germinabit plusculis  
Deo rigante, sanctitatis flosculis,  
Solemniora his auspicare gaudia,  
Sic flore sensim toxicoḡ, mystico  
Tuum Sione sponsulum vocaveris,  
Ut lege sanctâ mancupet fidem tibi  
Sponsaliorum vota per fidelia.

Sed eccè sanctus de Sione sponsulus  
Adstat tuus, planta terens eburneâ

Limen

Limen, salutat cordis hoc ergastulum,  
Ades benigne, flos, medulla gratia,  
Mentis Smaragde, cordis ardor & jubar,  
Lepos amœnitatis & fauentia,  
Cujus carere, sole ceu mundus, nequit  
Favore pectus, o stipate gratys  
Jesu venuste, cordis in umbraculum  
Recede, vellem ducereris in loca,  
Thalami nitentis, quem paravit mens mea,  
Quem flore, odore muneravit mystico.  
Intra voluptas mea, suave murmura,  
Verbum, perinde nuper ac sonaveras  
Desponsionis ad beatæ fœdera,  
Medulla fandi, sic amabilem in modum:  
Sacra vovebo sponsione me tibi  
Perenne sponsum sponsione jugiter  
Justâ, fideli, gratiosâ, per DEI  
Clementiam, quem ritè posthac noveris.  
Medulla fandi, nectaris me perpluunt,  
Hac imbrevberba, gliscit inde spiritus  
Per spes amicas; mens vagatur & vehit  
Nubes serenas inter, ut hac cogito,  
Qua cogitabo leva dum pauxillulo  
Motu mamilla palpitabit & suum  
Hoc ventilante cor forebit aurulâ.  
Quocunq; mens festivoitatis indolem,  
Festiva quo vel indoles mentem trahit,

*Ibo triumphans his potita gaudijs,  
Iotriumphe! composita Jესulo,  
Soli salig conditore maximo,  
Soli salig, nil morabor munera,  
Iotriumphe! suaviare Jესulum  
Meum subinde basiare sponsulam,  
Ad lusitare flammeis labellulis,  
Hac sponsione facta m'licentia,  
Id arbitror dulce, dulci dulcius!*

### MEDITATIO.

**O** Domine saluum me fac, o Domine bene prosperare, Deus meus *Psal. 118,*  
es tu, & exaltabo te. Exultabunt labia *25, 28.*  
mea cū cantavero tibi & anima mea,  
quam redemisti. Ita Regio *Psalti in Ps/ 71, 23.*  
Domino lætari placuit, atq; nunc  
mihi cum illo & elevari spiritu, licet  
contrito valdè. Novum etenim nunc  
animæ meæ cœlitus obvenit gaudiū  
De sublimi Majestatis solio surgit a-  
mator hominum, atq; meum cordia-  
le intrat cubiculum. Plaudite anima  
mea, sponsa Dei, magna Deum  
rum, appara thalamum amatori tuo.  
Quoniam corusca Diva es, dum Chri-  
sti sponsa esse mereris. Sterne pavi-  
B 5                      menta

menta cordis tui rosis patientiæ, hu-  
militatis violis; unge dilectum tuum  
balsamo misericordiæ in pauperibus  
suis; fac ipsum odorare cinnama pij  
zeli tui erga refractarios, mista cum  
saccaro pacis, condita thymo lavan-  
dulaq; devotæ precationis, superemi-  
nente ante omnia, & in oranibus lilio  
candoris fidei, nascente & augete  
in convallibus vulnerum amatoris  
Dei tui, ad æternam justiciam. Si sic  
facies, reportabis serviã constantiæ,  
& corollam vitæ; Sic floribus reno-  
vationis tuæ allectura eris, quem dili-  
gis, Dominum tuum, & diliget te pa-  
ter ipsius, & venient ad te, & mansio-  
nem apud te facient. O ineffabilem  
mansionis modum! conjunctum cum  
aternæ desponsationis lætitiã, qua  
& quid dixi cœlum? seipsum potius  
aternæ desponsionis foedere. Quo-  
niam sic infit acclinans super torum  
animæ, in præcordijs meis: Despon-  
sabo te mihi in seculum, desponsabo  
te inquam mihi justiciã, judicioq; &

Joh. 14.

23.

Sup.

beni-

benignitate ac misericordiã, & desponſabo te mihi fide, ut agnoscas Jehoyam. O sacrum & solui nescium fœdus! quo desponsata sum Christo, & mihi Christus, immutabilis Deus. *Hof. 2, 19.* To hinc corpore dispalescit gaudium meum, quia habeo Jesum meum, qui cum gloria suscepit me, per quem & cœlum posideo hæreditario jure. Et quid mihi est in cœlo, & à Domino quid volui super terram? Deficit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei *psal. 73.* & pars mea DEUS, in æternum. *25.*

## SUAVIUM III.

Cant. 6. 1.

Dilectus meus descendens abijt in hortum suum, ad areolas aromaticas, ut pascat in hortis, colligatque lilia.

*Ergo, ceu vernum propè lilietum  
Quà serenantis tremulum Favoni  
Perstrepiit murmur, tenuem maritans  
Fronibus auram:*

*Quæ*

Qua fugat cantu Philomela curas;  
Et salutaris tenui susurro  
Lympha singultim cadit, & propinquos  
Irrigat hortos.

Affolet multo varios colore,  
Chloridos fœtus vario sapore  
Nec minus dulci varios Juventa  
Carpere odore.

Sic tuum, nostros animæ recessus,  
Hortulum, Jesu, placidus subintrat.  
Blanditer pasci cupiens rosarum  
Mollibus auris.

At, malum! flocco rigidus gelato  
Ille torpescit, tepido Favoni  
Cassus afflatu, viduat ur omni  
Fronde comante.

Obrutum canis miserum pruinis  
Ingemit pectus, gelido sub antro;  
Frigidum flabris Aquilonis implet  
Sibilus aëra.

Jugis hæc nusquam trepidat virenti  
Fons aquæ rivo; jacet insalubris  
Terra, cui nec reptat odos, nec una  
Cantat alauda.

Christe, ceu verno redeunte sole  
Te induet coram violas, proinde  
Suscit a flores genitalis aura  
Suaveolentis.

Ipsè

ipse fecundo Zephiros, & una  
Ore ver effla, tepidâ fluentem  
Valle corriuâ scatebram, & rigante  
Perplue guttâ.

Bruta diuinos subito tepores  
Terra sentiscet, viror indè primis  
Pullulans aruis, feret anemonas

Inter amomâ,  
Tunc manu flores agitanis nivosa  
Emulam lactis, croceo corymbo  
Ora flavescente, rosam supremis

Tange labellis.  
Morsa, sublimet redolente donet  
Naribus nar do, nebulamq, odoris  
illatebrantis; tenuemq, amoris

Ventilet auram:  
Areas inter prasinas cubanti,  
Textilis septio folijs oliuâ,  
Lectâ paulatim per amœnitates

Jungar amico:  
Osculatura absq, morâ in racemis,  
Sustinebor rore suauiorum,  
Donce aprico trahat vna suauem

Colle ruborem

## MEDITATIO.

Ordinis ocellæ Jesu, veluti vere novo,  
quando

quando formosissima labuntur tem-  
pora, variegati juvenum puellarumq;  
chori, suavi per hortos reficiuntur o-  
dore, inter ridentes multâ undiq; a-  
amoenitate flores, vernò irradiante  
sole, atq; superaspirante Favonio fœ-  
tificantis auræ: Ita nunc verò cogitas  
refici insitæ puritatis odore per illum  
quem adis hortulum animæ meæ,  
quem ipso olim paradyso condide-  
ras pulchriorem; quem fragrante o-  
mnium virtutum, atq; concreatæ san-  
ctitatis concinnatas flore. Hic igitur  
pasci cupis inter areolas & carpere li-  
lia tua. Sed cheu! hortus tuus quan-  
to jacet squalore sepultus! postquam  
animam perdidisti, pulsâ illinc imagine  
tuâ qua unicè poterat efflorescere,  
cum qua etiam ipse exieras, ut grati-  
osè nunc revertèti nihil videre liceat  
præter lolia & avenas, cum plena ste-  
rilitatis sint omnia, obducta q; gelido  
vitiolorum horrore, nisi per te ipsum,  
quod facis, restituas tibi me, recolen-  
do hortum tuum, per gratiosam in-  
habitationis præsentiam, qua cuncta  
possunt reflorescere, superirrigante

SS. Vul-

SS. Vulnerum tuorum, è lateris con-  
valli destillante cruore, sublimato ra-  
dijs æterni solis, spiritus puta, qui sub  
principium ardore suo ferebatur su-  
per rudem terræ molem, eamq; effor-  
mabat affabrè exornabat pulcherri-  
mè. Feratur hic idem super animam; *Gen. 1. 2.*  
meam moveat foveat, fingat refingat,  
atq; hortulū in eadem tuū reformet,  
exornet, in quo habites gratia, quem-  
admodum in mundo potentiā. Sic e-  
jus indefinenter afflatu virtutum  
producer varios flores, supereminen-  
te fidei amomo. Quos inter pasci, id  
est, acquiescere animæ erit collibitum  
tuæ, donec tibi jungar in pace charis-  
sime hîc, & in coelesti paradyso, sub  
vindemiam vitæ meæ, quando me ceu  
rubentem sanguine tuo uvam distri-  
bues per vasâ lætitiarum in mensâ  
Domini. Amen.

## SUAVIUM IV.

Cantic. 1. 1.

Osculetur me osculo oris sui.

**Q**ua meliore notâ tua suavia sponse paciscar;  
Suavia qua vita dent alimenta mee?

*Gramini*

Gramina succrescunt cœli rorata liquore;  
Nox violas potat humida lacrymulis;  
Lilia rorem adent, pascuntur ruris amœni  
Irriguas in connallibus inter aquas.  
Quur ego suarviolis carcam, cœlesti alimento,  
Jesule basiolis cur viduata querar?  
Mellee mi, casto cur sic suspiria voto  
Eructem trepidis anxia pectoribus?  
Quando teram roseo distentum melle labellum;  
Dilatuse diu quando bibetur amor?  
Quam malè dinumeras numero quæ tempora  
Præterita tardâ tardior hora venit.  
Nectaris ambrosiæq; veni Pincerna beatae,  
Mista suarviolis mella refunde labris.  
Ebria rore Dei gradiar per aperta serena,  
Innumerâ figens savia laude polo.

#### MEDITATIO.

Quomodo obtinebo, ut refociller  
abs te, Deus meus? Venite ad  
me omnes qui laboratis, & onerati  
estis, ego refocillabo vos. Ita dixisti Marth.  
11, 28.  
Domine Jesu, hac voce obtinebo,  
propterea venio ad te, freta gratiosa  
vocationis prærogativâ, qua non vo-  
cas tantum, verum etiam blandè in-  
vitas.

viras. Venio autem & refocillari cupio, quia premit me peccatorum sarcina, sub qua laboro, & sitio. Anima mea, sicut terra sine aqua, siticulosa valdè est, cognoscite, inquis, lilia agri *Pf. 143, 6.* quomodo crescunt, crescunt; quia tu *Matth. 6* rivos terræ inebrias, & multiplicas gemina eius; In stillicidijs tuis lætabitur germinans. Mihi verò potum *Pf. 46, 11.* das in lachrymis, in mensura magnâ. Domine, apud te est fons vitæ, quando verò torrente voluptatis tuæ potabis me? Ad te Domine, Domine oculi mei, in te speravi; nè auferas, (evacues) animam meam. Tandem *Pf. 141, 8.* veni suavissime Jesu, portio mea in terra viventium, nolito tardare, sed veni, quia venio & curro post te, refunde suavitatem animæ meæ, refocilla me, postquã diu luctata sum sub hoc miseriarum fasce. Pota me aqua *Job. 4, 10.* vivâ manante ab ore tuo. In stagno Belial, paludoso inquisitionis stagno, voluta est anima mea, nullam ibi degustavit aquam vitæ. Deduc illam illinc ad fontes Israelis, da aquam salientem è latere tuo, ut fiat in me

C

fons

fons aquæ salientis in vitam æternam.  
*Job. 4, 10.* Osculare me osculo oris *gratiosi* tui,  
hic, ut bibam suavitates tuas, nec sici-  
am amplius, mox enim æternum po-  
tabis me puro fluvio aquæ vivæ, splē-  
*Apoc. 22,*  
*1.* me osculo oris *gloriosi* tui, ut inebriata  
ab uberrate labiorum tuorum, tota  
per id suaviū resolver in *suavissimas*  
laudes tuas, nullo ævo determinan-  
das, Amen!

## SUAVIUM V.

Psalm. 45, 3.

Speciosus formâ es, præ filiis hominum.

**J**esu sereni delictum poli,  
Quis te potenti proximior patri?  
Cujus, micanti vectus aurâ,  
Alloquio fruereis beato.

O Imperator maxime cœlitum,  
Cui sceptrâ tradit sponte parens sua,  
Quem sacra cœlo gens honorat,  
Deposito meliore laudum:

Æquande nulli, dos speciosa quam  
Vultum decôrâs glorificat tuum?  
Terra micat præ filiabus

Sideris instar amœna cervix.

Clari nitoris, sponsule fax tui,  
Communiore exsuperat vices.

Quacunq; vis, humana Siren,  
Pulchra viderier, Ipuella,

Concede Jesu latificum decus.

Cujus venustos obstupeeo factus,

Sublime pectus gratiarum,

Magno animi venerans triumpho.

Hanc quippè tanti prodiga numinis

Lepore virtus excitat indolem;

Philtrumq; propinavit istud,

Nectare me vel inebriavit.

Ut rapta blandas etheris ad domos,

Hac mente cœli templa per ambulem,

Pergamq; per sublime gressu,

Quà via non adeunda mundo.

Ubi parentis dextera maximi

Vultus amatos solis habet mei,

Mentes piorum qui calore

Pectora latificans, pererrat.

Ubi recurro plus oculis meum

Meis amatum cernere Jesulum

Cordis triumpho pulchriorem

Mirror Herum, venerorq; Regem.

Moror, latebras cordis in intimas

Rogatus intret, mystica basia

Figat labellis, suavitatem

Limine proximiore ducens.

Omi-

O mista blandis suavia risibus,  
Qua libo, totis pendula brachiis!  
Hic, hinc peribo; nunquid hoc in  
Suave foret peruisse labro?

## MEDITATIO.

O & delicias, & amica cupedia, JESUM!

JESUM amo, quia pulchritudinis  
coagulum universæ. Adamate  
JESU, Homo Divè, quis te potest esse  
formosior? nemo, quia Deus es, Deus  
autem pulchritudinis fons & origo  
est. Quis te venustior? nemo, quia  
*ἀναμάρτυτος* es. Lacte candidior, &  
lotâ purior puella es, quoniam à pec-  
cato immunis es; Hoc verò ubi non  
adest summa ibi pulchritudo cernitur,  
quandoquidem & ipsa eram pulchra,  
antequam peccato detraheretur per-  
sona. Floridulam Rebeccam elegit  
*Gen. 28.* Isaac; pulchellam Rachelem præ Leâ  
*Gen. 29.* prævertebat Jacob; niveola Bath-  
*18.* scheba ab amne fascinabat Davidem;  
*2 Sam. 11* Lacteola Esther mitigabat Ahasve-  
*Esth. 2.* rum. Tu verò longo superas interval-  
lo, quotquot fuère, sunt, & erunt ve-  
nustatis dote commendabiles puellæ.  
Solut

Solus enim speciosus formâ es, præ fi-  
lij hominum. Mundana formositas, *Pf. 45, 3.*  
sicut aurora bihoris, tua verò immar-  
cescibilis rosa est. Deperio formam  
tuam, formosule Jesu? Mente voluto  
cœlum, & expecto donec manifeste-  
tur gloria tua. Interim hic inchoa-  
vi videre te ad dexteram Majestatis  
Dei, & incalui ex specillo fidei, trans-  
lucente tantum radiolo formositatis  
tuæ, quo ita intimâ suavitate compo-  
nor ut hic mori concupiscam, quo  
inibi reviviscam, ubi veniens appa-  
rebo antè faciem Dei mei, non ampli- *Pf. 42, 4.*  
us visura illum in speculo, non in æ-  
nigmate, sed de facie ad faciem; non  
per radiolum, sed per formam, qua *1. Job. 3, 2*  
talis reverà est, nempè formosissi-  
mus Deus. Cujus accensa pulchritudi-  
ne, poenitus transformabor amore,  
ad similitudinē imaginis ipsius. Tunc  
conjeciam glorificatos oculos in JE-  
SUM, defixoq; animo inhærebo tam-  
diu, donec appareat id quod  
æternum ero futura. *1. Job. 3, 2*

C 3

SUA-

# SUA VIUM VI.

Pfal. 31 19.

Quam magna multitudo dulcedinis  
tuæ, Domine, quam abscondisti  
timentibus te.

**O** Mundane mihi, parum tibi pectoris intra est,  
Crede, quod in terris vivere dulce putes,  
Vita, valetudo, non deficiente crumena,  
Ædibus excelsis constabulata quies,  
Lautitias victus, Veneris comitata voluptas,  
Molliaq; auratis pota falerna scyphis,  
Quicquid & hæc superat mundo, cui pectus adem-  
ptum. est  
Judice, si numero te cumulat a beent.  
Primula dulcoris tibi non gustata labellis,  
Qui me præ mulso, melle favoq; iuvat.  
Quem labijs stillat dulcedinis auctor Jesus,  
Deciduumq; p̄ corde latente bibunt.  
Quem nè Vita, valetudo, victusq; crumenaq;  
Ædes, & Veneres pota falerna, quies,  
Præripiant animo dulcissime Christe videto,  
Dulcia qui labris cuncta reposita geris.  
Dulcia solus habes, nec habebis dulcia solus  
Da mihi suaviolum, dulcia participa.

SUA.

# SUAVIUM VII.

*De eodem dicto alter.*

**J**esule dulcis amor, prædulci dulcior aurâ,  
Quam spirant verna nectaream viola.  
Dulce quidem Violas, actis hyemalibus horis,  
Pollice diflexo carpere veris opes;  
Dulce quidem nummos, adamantas, Jaspidas,  
aurum,

Divitibus cistis adcumulare suis;  
Dulce suaviolum, castis decerpere labris  
Dum desponsata Virginis ora sinunt;  
Dulce admirandos apium lustrasse labores,  
Et nova curuatâ lingere mella manu;  
Dulce mero, vinoq; graves compescere curas,  
Ne dolor in lachrymas sæpè solutus eat.

Jesule dulcis amor, mage tu dulcedine dulcis,  
Pectora permulces, Jesule dulcis amor.  
Præ violis, nummis, adamanteq; Jaspide & auro,  
Præq; suaviolo, virgine, melle, mero,  
Sponsæ dulcescis dulcescit dulce labellum,  
Cœlite distillans in mea corda favo.  
Nam violæ, nummiq; , adamantes Jaspis &  
aurum,

Cumq; suaviolo, virgine, melle, mero,  
Quidquid & hac superat precio dulcedinis, insunt  
Omnia qui superas dulcia, Christe tibi.

Tu viola es, nummusq̄, adamas mihi Jaspis &  
aurum es,  
Cumq̄ suaviolo es, Virgo, mel, atq̄ merum.

## MEDITATIO.

1. Job. 2. **M**undus transit & concupiscentia  
17. ejus. Cur igitur tam comotæ mē-  
tis homo es, Mundane, ut mundi tam  
omnimodā oblecteris vanitate? cur  
cum Æsopico cane umbram captas,  
substantia verò amissâ? Cuicumq̄  
mundus dulcescit, Christus amarescit,  
sed versâ mundi dulcedine, totus a-  
marus erit. Amaritudinem enim in  
recessu habet, licet opiparè dulcia  
præfiguret mūdus, sed φαινομενως. Ex-  
tant, mundanæ γλυκυπικρίας symbo-  
lum, pilulæ in Pharmacopolijs auro  
obductæ. Inexpertus magnæ dulce-  
dinis condimentum latere arbitratus  
sub tam opiparo capite, si gustarit, vix  
in pristinum statum ora vindicabit ab  
amaritudine: Ita mundus, totos felle  
perpluit; quibus fucati semel mellis  
palpum obtrusit, glaucoma ob oculos  
ponit, quibus auri adblanditur colo-  
re, luctum intentat, ad quos perspi-  
cuo,

cuo laxat labella risu. Iccircò, quis-  
quis es dum in mundo es, semper ti-  
mebis

————— *Sub sole sereno*  
*Nubem, subrisu lachrymas, sub melle*  
*venenum.*

Nubila sequuntur solem, æstatem ex-  
cipit hyems, violas atterit pruina, vir-  
gò ut semel risit, de floruit, mella fiunt  
fella, aurum ipsum nihil aliud est, nisi  
splendidius paulò lutum.

Πάντα κόνις, καὶ πάντα γέλως, καὶ πάντα ἴδ  
μηδέν.

Hoc est:

*Omnia pulvis & omnia risus, & omnia nil*  
*sunt.*

Sic est mundus hic, & concupiscentia  
ejus. Tu verò mihi suprà omnia dul-  
cescas mellitissime JESU! Quàm ma-  
gnà est multitudo dulcedinis tuæ, quàm  
abscondisti timentibus te! Nihil vani-  
tatis hic est, nihil amaritudinis subest,  
felle cares, mera mella propinas. Sed,  
quis intelligit hæc bona? Pauci verò,  
quia tu abscondisti timentibus tantū  
te, timentibus sine timore. Quippè  
qui te timent, amant te, timor autem

C 5

in

in amore non est, sed perfectus amor  
 1. Job. 4, foras eicit timorem. Domine scis  
 18. quod te amem, fac in medullas abeat  
 iste amor; admirabilior fiat mihi a-  
 2. Sam. 1, more foeminarum, quò mihi dulce-  
 26. scas solus suprâ aurum & argentum,  
 supra melliculos favos, quò solus sis,  
 qui det lætitiã in corde meo, à fru-  
 ctu frumenti, & vini, quibus multipli-  
 cantur mundani; quò te solum amem  
 P/. 4, 8. tanquam animam meam, & dicam:  
 1. Sam. 18. 2. *ἐμοὶ τῷ Ἰησῷ προσκολλησθε, ἀγαθὸν ἐστὶ.*  
 Amen.

## SUAVIUM VIII.

Cant. 5. 3.

Caput meum oppletum est rore; capil-  
 li mei asperisionibus nocturnis.

<b>O</b> ptime Jesu!	<i>Aura comarum,</i>
Portio cordis	<i>Deciduos heic</i>
Optima nostri,	<i>Vertice sacro</i>
Caelite nimbo	<i>Lingere rores</i>
Decidat una,	<i>Ne negitato</i>
Gutta labellis!	<i>Sponse petenti.</i>
Depluit udis	<i>Ignem medullas</i>
Aurea succis	<i>Torquet amoris</i>
	<i>Ardor,</i>

*Ardor, amoris  
Hei Cytherae!  
Flammula mundi  
Corda vaporat;  
Ossa perurunt  
Et facierum  
Spicula, ocelli.  
Ille quod intus*

*Hosce latentes  
Temperet ignes  
Humor habebit.  
Deciduos heic  
Vertice sacro  
Lingere rores  
Ne negitato  
Ergò petenti.*

## MEDITATIO.

**A**Nima mea, nè te unquam, neque  
cum vità capiat oblivio crucifixi  
amoris tui! Recordare hic mecum  
verba Pilati: Ecce Homo! Tunc enim  
Jesum producebat foras, gestantem  
spineam cororam. O Homo JESU Job. 19. 5.  
**CHRISTE, *Ἰησοῦς*!** video pur-  
puratum caput tuum plueri san-  
guineis guttis; rore purpureo opple-  
tum est caput, madent sanguineis as-  
persionibus capilli. Ita laeceratus tem-  
pora es spineis involucris! Dedecus est  
sub capite spinato deliciari velle, di-  
ctum est S. patris Bernhardi. Ego ve-  
rò deliciatus sum hætenus, & ad-  
huc mundi me torquet deliciosus

amor

amor. Intus urit concupiscentia, ex-  
tus invitat seducentis turbæ blandi-  
loquentia. Thaidis instinctu Regia  
Persepolis incensa olim conflagravit,  
Totus mundus pernicioſa aliqua  
Thais est, quotidie molitur ruinam,  
& illiciti ardoris flammâ incendiam  
intentat Regiæ cordis. Quo flumine  
extinguetur hæc flamma? flamma te-  
rebrans est, aqua non patitur se extin-  
gui. Roscidule Jesu, unica de capite  
tuo decidens guttula sanguinea, plus  
hic valebit integris aquæ fluminibus.  
Facoris canali inter epulas divinitus  
apparatæ mensæ, avidè tales excipiam  
guttas, donec deriventur illuc, ubi la-  
tet pectoris in penetrali, tanti fomes  
incendi. Quo extincto, tandem ignis  
amoris tui per obstantia mundi clau-  
stra eluctabitur clariore flammâ, atq;  
mihi, omni re nihili casto, volupe erit,  
esse apud Jesum conspectiori loco,  
Amen.

## SUAVIUM IX.

Cantic. 5, 13.

Labia

Labia ejus similia lilijs; stillantia myrrhinum liquorem.

<b>O</b> Violarie	Prata per, & per
Pusio Christe.	Dadala colles
Pectoris adte	Sugit apis mel,
Perpete gutta	Plenaq; Hymetti
Rorat ocellus;	Flore vagatur;
Turgida odore	Ebriaq; Hybla
Cede labella	Rore, recessus
Delicias queis	Inde frequentat,
Sugimus udo	Alveolisq;
Mille palato.	Mella refundit:
Murice tineta	Sic quoq; flores
Myrrhina labra;	Inter odoros,
Melle peruncta	Liliag; inter
Roscida labra,	Pascor, odorum
Plenaq; amomo	Per violare
Limpida labra,	Hoc labiorum;
Cuncta restinguunt	Vescor amomo
Tristia dulci	Calico & inde
Gaudio; amara	Mellifluenti
Melle per unguent;	Plena sapore;
Sordida odoro	Cuncta sapore.
Flore venustant.	

MEDITATIO.

Conso-

*Pf. 94, 20.* **C**onfolationes tuæ, Domine, lætifi-  
caverunt animam meam. Unde

verò mihi istæ, nisi ex ore tuo? Quo-  
tot divinarum consolationum, pro-  
missionum &c, mellituli destillant fa-  
vi, quibus delectatur apicula (sponsa)  
tua, inter divini alvearia verbi consti-  
pata flore suavitatis per odora pascua  
labiorum tuorum. Imploro se Domi-  
ne Jesu in loco pascuæ hujus semper  
colloca me ubi nihil deerit mihi; hæc

*Pf. 113, 2.* educa me super aquam refectionis, ex-  
hilara me. Sunt enim labia tua simi-  
lia lilijs, quicquid inde progreditur,  
exhilarat, haud secus ac verna lilieta  
sinceram adspirant transeuntibus au-  
ram, nō sine lætitiæ afflatu. Talia me-  
ditanti, succurrit illud Psalmi 45. Dif-  
fusa est gratia in labijs tuis. Hæc est  
salutaris Dei gratia, quæ indè perso-  
nuit ad nos ex ore tuo, per vocem E-  
vangelij tui, quod est odor vitæ, ad vi-  
tam in illis qui salvantur. O vitalem  
odorem! Domine imprægnetur ani-  
ma mea odore hoc; inter lilia labio-  
rum tuorum, hoc est, in dulciloquijs  
verbi tui sit lætitia mea, donec amara  
omnia

omnia dulcescant, tristia evanescant,  
pura gaudia dispalescant præ magni-  
tudine expectationis meæ in cœlesti-  
bus. Si verò collibitum sit Domino  
meo, adstillare myrrhino liquore  
crucis, ut amaritudinē sentiat vetus,  
homo, faxit, illo sensim concidente  
renascatur novus, qui renoveretur in  
singulos dies præservatus ab æternâ  
corruptione hac efficaci myrrhâ. Sic  
tandem momentanea afflictio mirè  
suprà modum æternum pariet mihi  
gloriæ pondus, cujus nunc spe sustenta-  
ta anima mea, dulcedinis sapore super-  
funditur inter media mundi amara,  
perindè ac apiculæ in floribus gustu a-  
maris, dulcissimo madent mellis li-  
quore.

## SUAVIUM X.

Psalm. 102, 10.

Poculum meū cum fletu miscebam.

**F**allitur, an fallit, vino qui pellerè curas  
Instituit? vinum pellerè cura potest.  
Tristis, ad exemplum vulgi, jugulasse dolorem  
Aggredior vino, vinaq; perdideram:  
Perdiderant cassas cum nectare pocula vires,  
Nec quicquam labris fusa falerna meis.

Visceribus latet ecce dolor, latet atq; medullis  
Tristitia repens ima sub ossa vapor,  
Quem nequeo tentavi etenim, relevare meraco  
Ne mea sepe gravis sarcina corda domet:  
Pocula mens inter blandos peregrinat in usus,  
Miscentur fletu poculâq; inde meo.  
Et mihi quas doleam, mea Vita, retexere causas  
Non nisi queis pereo, fontica labra valent.  
Hæc sua melliflui bona nec taris intervallo  
Dum retrahunt, anime grata alimenta negant.  
Soluere suaviolum, res exorabilis unquam  
Si foret, orarem soluere suaviolum  
Labra, quibus pereo, Divini corda salillo  
Actum, ni recreent ista favoris, erit.  
Labra columbatim tua, sponse, corallina labris  
Committenda peto, deliciose, meis.  
Suavia virgineis juvenes madefacta salivis  
Dij peream? patiar languidiora sequi:  
Ille Cytheræo pascat sic ora vapore  
Cujus amoroso pectus ab igne calet.  
Quin satis in roseum consurgitis ora tumorem,  
Luxuriosa quibus basia delicias?  
Atropos hisce meis inserpat dura labellis  
Igne velint tali, si stimulante queri.  
Altius impressis hæc sidant basia labris  
Que nova cæli fluo pectora rore creant

Subvi-

Sua violum volo, quo novus intret spiritus ora,

Quale viro in terris nulla puella tulit:

Quale Jæan d'pau & ductum pulmonis ab imo

Desuper illapsum pectora calfaciet,

Sponse refer gelidis his talia labra labellis,

Hæreo dum fusâ per tua colla fide.

Huic anima, mea vita, tuo fer flamine vitam,

In flatam tepidi rore suâ violi.

Exanimata tuo, mage sic animabitur ore,

Unica dum geminis oribus aura fluet.

Ibit evans animis mens hoc cumulata favore,

Miscebit fletu pocula nulla suo.

## MEDITATIO.

DATE vinum his, qui amaro sunt a-  
nimo, inquit Regum sapientissi-  
mus, Ecce amaritudo cordis mei lo-  
qui me cogit, Deus meus, quis dabit

mihî vinum lætitiæ? Vinum lætificat  
cor hominis. Enimverò sollicitudo,

Quæ nunc me coquit & versat sub pecto-  
refixa,

tam penitè adhæret, ut nullo eam me-  
ro animo queam eluere, non valet  
genimen vitis adversus tristitiam me-  
am, tentabam, sed pocula mea cum  
fletu miscebam. Consolabilis vox

D

est:

est : beati qui lugent, quoniam ipsi  
consolabuntur. Ah si consolarer, quā-  
ta forem in beatitate! nemo verò hoc  
præstare poterit, nisi qui hinc elimi-  
navit ex animo meo, amator meus, eo  
præsente gaudeo, eodem absente, col-  
lachrimando doleo. Sustulerunt Do-

*Job. 20.* minum meum! quis fecit hoc? pecca-  
ta mea, ea enim dividunt inter me, &

*Esa. 59. 2* Deum meum; quæsi vi sed non inve-  
*Cant. 3.* ni, quem diligit anima mea, hinc con-  
tristata sum valdè. Age, revertere

*Hof. 6.* Domine, ut revertar ad te, quoniam  
*Hof. 2.* tu percussisti, & obligaturus es me.

Domine per fidem desponsationis  
tuæ, oro te, revertere, restitue requi-  
em cordi meo, usq; quò oblivisceris  
me, usq; quò avertis faciem tuā à me,  
respice & exaudi me; Domine Deus  
meus, qui tribulant me exultabunt, si

*Psal. 13.* mota fuero. Quantum intercessit in-  
*Psal. 34.* tervalli, ex quo non gustavi suavita-  
9. tes tuas, suavissime Jesu! hinc

*Singultim necat, heu! me sine sine dolos.*  
Mundus suavitatem quarit in volu-  
ptatibus; multi multa amant, sed ca-  
duca omnia.

*Multos*

*Multos blanda Venus lepidis demendat* T.B.  
*ocellis*

*Quos levis insani torquet amoris amor.*  
*Mihi verò*

*Jesus delictum, melq̄, merumq̄, meum*  
*est.*

Esto delicta meæ, mellitissime Jesu; ne  
sis mihi terribilis Domine, ama me,  
ut redamem te, infunde vigorem ani-  
mo, ut mortua reviviscam, frigida in-  
calescam, sordida exalbescam. Reno-  
vata coarctabor Spiritui tuo, atq; sub-  
limata in Deo mente, Jesulum suavia-  
bo, donec terrenæ Veneres, Sirenum-  
que turbæ similes cupidines, volupta-  
tes, & id genus irritamenta cætera, a-  
nimo egerata, vilescant sordescant, at-  
que tunc gaudens gaudebo in Domi-  
no, compositaq; intimiori gaudio,  
tractabo poculum meum in lætitiâ,  
bibitura de genimine vitis denuò in *Marc. 14*  
regno Dei & Christi. *42,*

## SUA VIUM XI.

*Pfal. 41, 1.*

*Quemadmodū desiderat cervus ad fō-*

*D 2*

*tes*

tes aquarum ; ita desiderat anima  
mea ad te, Deus meus.

**N**on sat palatum limpidus Eloqui  
Licet perenni rivulus irriget  
Vena, valebit lingua nudis  
Simpliciter retulisse verbis,

Quantis medullas intus amoribus  
Urar, tenello fibrītūs ossium,

Igni cavernas occupante,  
Turgidulumq; siti coquente  
Intus labellum. Non equidem siti

Quā nata seve flamma cupidinis  
Quit appetitu fascinos

Sollicitare animos procantūm,  
Visā Dianā. Cujus & expetunt  
Labella babris plausibili vice

Pressisse, & arētum septuosis  
Nexibus impedisse collum,

Suadente formā. Non; propero tua  
Suctum labella Jesule mystica,

Mens anxiosis teq; anhelat  
Nisibus, o mea Lux, ruiq;

Fatiscit igni; Combibitum sinit,  
Et potarursus combibitum sinit

Amori-vibri nectar oris

Mellisuam redolentis Hyblam.

Expe-

Expectoratis sensibus exulat,  
Cor huc, & illuc, ducit anhelitus,  
Pasti recenter more cerui,  
Membra veneniferis colubris,  
Cum cursu anhelans nubilus anxio  
Per tesqua, cautes, avia rupium,  
Quærit repentis corda circum  
Antidotum luis, è strepente  
Per saxa raucò murmure rivulo;  
Sic te cupisco Jesule vinule,  
Fontis scatebram te petisco  
Ejaculantis aquam salutis.  
Nam corda, damnum! fons bone, Jesule,  
Impuritatìs multiplici lue  
Periclitantur, rorulenta  
Fons bone, Jesule, fac liquore,  
Per entheati pectoris ostium  
Rupto canali, quem latus eluit,  
Hic corda, derivatus inde,  
Nostra cruore repurpurante  
Potis rigare. Hunc si sitit impetrat  
Mens seculari aspergine sordida,  
Lympham salutis, qua affricata  
Diluat omne luis repente  
Repens venenum. Per plue per plue  
Liquore fontis, Jesule, me tui,  
Ne sordium polluta cæno  
Fontis inops habeam perire:

Nè, quando summa conscius horula  
 Sub fila terror criminis, humidum  
 Fumantibus suget medullis,  
 Fontis inops habeam sitire.  
 Sic post beatis addita cœtibus,  
 Ter mille castis basilis tua,  
 Per regna sanctæ mansionis  
 Sponse venuste, ter am labella,  
 Sucturaq; isthinc lætitiæ merum,  
 Inebriatis ambrosiâ labris  
 Donec resoluar tota laudum  
 In melos angelicum tuarum.

MEDITATIO.

Psal. 42, 1 **S**ititit anima mea Deum fontem vi-  
 vum; resuscitate Jesu, Deus vivus  
 es tu, quoniam resuscitatus ex mor-  
 tuis, amplius nunc non moreris. Siti-  
 bunda anhelat ad te anima mea, & si-  
 tire me facit sitis tua. Quia pro me si-  
 tivisti in cruce, ego nunc sitio te in lu-  
 ce, te sitio, & gloriâ tuam & amorem  
 tuû, adamate sponse. Intolerabili siti  
 æternû debebâ marcescere, tu v. sitivi-  
 sti, & tua sitis æternû facta mihi est re-  
 frigerium. Sitiebâ peccatû, imbibens  
 sicut aquâ iniquitatem. Vinum & ce-  
 revisia m sitiebâ cum heluonibus; di-  
 vitias

vitias cum Nabale; dignitates cum A. <sup>1. Sam. 25</sup>  
chitophele, sed nocentissima hæc e. <sup>2. Sam. 19</sup>  
rat sitis, ideoq; valeat mundana, suc-  
cedat sitis Christiana. Cervus sitiens,  
pratis & nemoribus non detinetur,  
solummodò salientis aquæ fontem se-  
dulò requirit: Sic tua accensa siti, qua  
sitivisti salutem meam, Domine, non  
detineri cupio mundi amœnitatibus,  
sed ad aquam propero vivam, manan-  
tem in vitam æternam, quia nunc pri-  
mū, quæ sursum sunt, sapere incipio.  
Perfunde me nectare consolationis <sup>Coloss. 3,</sup>  
vivæ, consolationem sitit anima mea, <sup>v. 1.</sup>  
da aquam vivam, ne sitiam; ex latere <sup>Job. 4, 15.</sup>  
tuo derivatur isthæc aqua, exivit e-  
nim sanguis & aqua. Ah pretiosum  
*πᾶντιμα*! pretiosa ablutio peccatorū <sup>Job. 19.</sup>  
meorum, diluens omnes iniquitatum <sup>34.</sup>  
sordes, ut tanquam nix exalbescant  
peccata mea, & fiant similia lanæ.  
Quoniam sanguis Jesu Christi filij  
Dei emundat me ab omnibus pecca-  
tis. Hæc est aqua illa viva, salutifera, <sup>1. Job. 7.</sup>  
fide imbibo hanc aquam, & bibendo  
sitio hæc aquā, donec inebriata nectare  
consolationis vivæ, Christo cupiam  
adhærescere, freta ejus tanquā sponsi

75. 102. 1.  
omnimoda bonitate, & misericordiâ,  
quæ subsequetur me omnibus diebus  
vitæ meæ, ut inhabitem in domo Do-  
mini, in longitudine dierum; in do-  
mo gratiæ hîc, & deinceps in taberna-  
culis dilectis Dei, ubi Christus est, in  
dextera patris sedens, ibi adjuncta  
choro cœlestium, æternum gustabo  
suavitates Domini, quandò ad-  
implebit me lætitiâ, cum vultu suo; ibi  
hymnus erit, & gratiarum actio, & de-  
lectationes erunt, in dexterâ Domini  
usq; in perpetuum. Amen.

*Pf. 23, 6.*

*Pf. 16, 11.*

## SUAVIUM XII.

Cant. 5. 5.

Exanimata sum propter colloquium  
ejus.

*D*ivitis suade pater, & medulla,  
Eloqui torrens, decor ô decòrum  
Christe, sermonum redolente passim  
Plenus amamo,

*Verba cœlesti salium madore*  
*Sparsa, mellito resonas ab ore,*  
*Imbuis voris animam, Sabao*  
*Thure perungis.*

*ora*

Ora dentata stygis ut, coquente  
Igne, confundat redolens acerra:  
Atq; gemmato queat aggregare  
Nomen Olympo.

Quando subrimor scatebras alumna  
Oris Hyblao mage delicati  
Flore, me linquunt refuga latentes  
Pectore vires:

Vescor aternis dapibus; suavi  
Suavior nardo, mage sed meraco  
Limpidus sponsi sine fine manat  
Amnis ab ore.

Quem tenellarum dapis indigentum,  
Mentium semper sitiendo gustant.  
Ora, destillant animis vigorem  
Lacte meroq;.

Mundus aeterno rebrobatu astro  
Cordis emigrat thalamo relicto,  
Labra subsultant, repetunt crepante  
Suavia morsu.

Oro mansuros animo penates  
Fige, Lux, nostris labium labellis  
Implica nexu, jecur omne donec  
Igne lique scat.

### MEDITATIO.

Judicia Domini vera, & justificata in  
Semetipsa, desiderabilia super aeru

& argentum, & lapidem preciosum  
multum, & dulciora super mel & fa-  
vum. Hoc est testimonium tuum, Ex-  
optatissimè Jesu, quod Spiritus S. per-  
hibet dulciloquio verbi tui, in quo  
revelantur nobis desiderabilia, no-  
strâ de redemptione judicia Dei. Cœ-  
lico lepore tincta verba narras, melli-  
sissime Jesu, dum ejusmodi ex sinu  
patris judicia profers, aeterno concin-  
nata favore. Exanimatam præ gau-  
dio vix sensim mihi colligo mentē,  
cogitans in spiritu, per colloquia tua,  
de judicio quo Princeps mundi judi-  
catus est. Illum nunc profligare ta-  
men, si non jugulare, potero, animata  
adversus eum spiritu oris tui, induta  
clypeo fidei, accinctaq; gladio verbi  
incipiti, quo Sathanæ profligatio, mi-  
hi verò fit defensio, nè succumbam  
in tentationibus, quando tentator  
accedit: nè animum despondeam,  
quando urit ignis tribulationum, sed  
odorē bonæ fragrantiae offeram Deo,  
ardenter precando. Quem admodum  
n. accenso thure grata nobis ipsis exci-  
ramus suffimenta, in contrarij foetoris  
aboli-

abolitionem: ita Dei efficitur acer-  
ra, quodocunq; igne tribulationis  
ad preces, ad verbi excitamur atten-  
tionem, ut redolente devotionis odo-  
re Sathanæ ora confundamus, Deum  
verò nostrum exhilaremus. Si sic per  
attentionem animo impensiori attē-  
derimus verbo, exhauriemus indē æ-  
ternæ ambrosiam vitæ, quâ, dū vetus  
exanimabitur, internus alimentabi-  
tur homo, ad perfectionem hominis  
Dei, qui à mundi omnimodâ vanitate  
desciscens, totum partium nomen sus-  
tinebit in Deo, ejus denuò perfruitu-  
rus amore. Oro, desideratissime Jesu,  
fac mansionem apud me, in corde  
meo, hîc fige tabernaculum tibi, ut ef-  
ficiar templum tuum, clarum in elo-  
quio tuo, quo hîc mihi cohabitares gra-  
tiâ, donec æternâ me replebis gloriâ,  
in novissimis, quandò

*Limosi cedam mundi stagnantis ab ulvâ.*

Tota tunc inhabitantis splendore il-  
lustrabor, atq; ut heîc, ab inchoato,  
ita tunc verò denuò à consummato te-  
cum redaspicabor amore.

SUA.

# SUA VIUM XIII.

Pfalm. 119, v. 130.

Os meum aperui, & attraxi spiritum,  
Quia mandata tua desiderabam.

**D**um bibo cœlis fluis stillantia basia succis,  
Inq̄, recurrentes surrigo labra vices.  
Spiritus irriguis sublimat in oribus auram,  
Miscenturq̄, duæ junctæ per ora anima.  
Ora patent; avidis divinum motibus haustum  
Libo, susurrantis flaminis aura subit.  
Dumq̄, ita divinis amplexibus æera capto,  
Candidulis humeris, Jesule, nixa tuis,  
Hunc animum meliore tuo diductus ab ore,  
Spiritus assiduis motibus intus alit.  
Magnus ab insipida depulsis mente tenebris,  
Hinc circumfulget pectora lucis honos:  
Clarius hinc sacrum, (cujus percellor amore)  
Divina lastrat pupula legis opus,  
Qualiter in croceo Sol aureus exit amictu  
Lumine perlustrans cuncta creata suo;  
Taliter è tenebris animum diviniior aura  
Depulit in lucem, noxq̄, peracta fuit.

## MEDITATIO.

**D**omine, mandata tua desiderabam,  
sed intelligere non poteram, Mi-  
rabilis

rabilis enim est scientia tua, & altior,  
quam assequi possim. Enimverò, os *Ps. 139, 6.*  
meum aperui, & attraxi spiritum, re-  
cordata beneficiorum unctionis tuæ,  
qua me unxisti, unctione Spiritus in  
me manente, quæ docet me de omni-  
bus. Non enim negare poteras spiri-  
tum unctionis, quia unctus es pro me, *1. Job. 2.*  
& ego in te, ut ungerer, ab ste. *27.* In verbo  
aperuisti mihi os tuum, ibi pende-  
bam ab ore tuo, ut aperto ore attra-  
herem de spiritu tuo, & ecce! factum  
est, dum serio demisi in animum, spi-  
ritus vivificavit in me verbum tuum,  
à nunc mihi fit voluntas in lege Jeho-  
vah, & in ea meditatio die, ac nocte. *Ps. 1, 2.*  
Intelligo nunc, tu Domine amplius  
fac me intelligere, in candore fidei ex-  
mero spiritu, summam mandatorum  
tuorum, in Jesu, qui omnia mihi est,  
& in omnibus. Quoniam factus mihi  
est sapientia à Deo, justitiaq; & san-  
ctificatio, & redemptio. Nullius am-  
plius indigeo, solius tantum Jesu in *1. Cor. 1.*  
mysterio. Sufficere sibi in Jesu, hoc est *30.*  
mysterium mundo absconditum.  
Hoc dicit spiritus, & in illo Dominum  
VOCO

voco Jesum, & omnia scrutor in illo,  
etiam profunditates Dei, & quæ à  
Christo donata sunt mihi, scio per il-  
lum; per quem nunc ambulo in stulti-  
tia, sed multò hominibus sapientiore,  
*1. Cor. 12.* in imbecillitate, sed multò homini-  
*25.* bus robustiore. Domine occultam  
*Psa. 51, 6.* sapientiam amo. In mundo tenebræ,  
lux verò in Jesu, illucescat Jesus, ut oc-  
cultè sapiam, & in tenebris dum fue-  
ro mundo, lux fiam in Jesu. Amen.

## SUAVIUM XIV.

*Psal. 45, 3.*

Diffusa est gratia in labijs tuis.

**A** Des Jesule, si vacas haberi,  
(At verò precibus vacas haberi)

Nunc meam, posita severitate,

Serenans animam benignitate,

Meum suaviolo riga labellum.

Orbum tam sapido diu sapore

Vult pusillanimum perire pectus;

Tuumq; omnibus ardet in labellum,

Votis, suavicepim perit labellum,

Quovis nectare, matting, quavis,

Et quavis dape dulcius, nec Hybla

Pra

Pra quo mella valent, Hymettijq;  
Nec favi superant, quibus subinde  
Pluunt ceropys apes in hortis:  
Quò favor facilis, lubentiaq;  
Quavis concomitante gratiarum,  
Dote, continuo sedent lepore:  
Quò non basia defluunt, at ambra,  
Balsamumq; thymumq;, cinnamumq;  
Etrores animæ suaveolentis.  
Si Sexenta domi cupita verba  
Essent! hoc quibus advocem labellum;  
Quod torret jecur, intimasq; fibras,  
Quod ignem procul abdit in medullas,  
Dum morsu petit, & petit remorsu  
Tam parco hoc timidum meum labellum,  
O nunc roscidulo frequenter ore,  
His labris nimio vapore coctis,  
Mundano nimium calore tostis  
Affles halitulum suavis aura.  
Et me mollibus imminens lacertis,  
Astrictam teneas, & osculorum,  
Nisu profubigas meum labellum,  
Donec succiduo novata morsu,  
Immortalis in hoc repente fiam;  
Et dicam: Deus es meus, Deorum  
Nullus compare charitate perstat  
Tibi, o summe mei caloris auctor.

DEDI.

## MEDITATIO.

*Cant. 2.* Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languco. Semel imbuta rore suaviorum tuorum, suavissime Jesu, languco nunc, sed o cordis porriuncula major, iterum succo labiorum tuorum refocillari convenit micantem hanc animam meam. O.

*Pfal. 42.* mnis gratia diffusa est in labijs tuis. Gratiã verò salvabis me, Domine Jesu. Enimverò gratiã vehiculum verbum est, gratiosum labiorum tuorum depositum! Domine, quidnam ullã, præter suavia tua, compositire me poterit suavitate? Percoquit viscera multitudo dolorum, quando non suavitate, id verò non fit, quando non scrutator verbum tuum, inflatum lætificante labiorum tuorum favore, Animule Jesu, hinc ostende mihi favorem tuum, & dicam secundum multitudinem dolorum meorũ in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animã meam. *Pfal. 94, 19* Vulneribus scateo, veteri, & recentibus innumerabiliter, myrobalsamum habent vulnera tua, in capsulã verbi reconditum, sana me, & suavio

suavio te, & dabis cinnama novi Zeli,  
ad novi hominis instaurationem, ad  
habenda thyma bonæ fragrantiaē co-  
rā Deo, quo nunc adspiro ut habeam.  
Utinam ardore precum, suffulta fidei  
constantia exorare valeam hunc mihi  
à Domino favorem, ut intimè amem,  
ut intimioris admissionis suaviolo di-  
gnetur anima mea, ut sponsulo agglu-  
tinatā, nullum partium nomen susti-  
nere cupiam in mundo. Quod cupio,  
vehementer cupio, in Domino verò,  
ut mens omnis & affectus sit apud il-  
lum, qui mei cupidissimus, Jesum, si-  
ne quo facere possum nihil, omnia ve-  
rò cū illo. Quæcunq; heic inchoave-  
ro, his repentè cœlum perfectionem  
superaddet, ubi omnia potero, in a-  
more, ex amore, coram Domino, mei  
amoris nunquā satis amato auctore.

## SUAVIUM XV.

Psal. 84, v. 13.

Cor meum, & caro mea exultaverunt  
in Deum vivum.

*S*urge cor cytharam tuam

*S*ume; psalterium tuum

E

*Appli-*

Applica scapulis, levi  
Tange brachiolo; tonum  
Vocis alite, confer.  
Effer omine cum bono  
Paulo liberius caput,  
Huc veni, huc nive à cutem  
Veste conspicuam refer.  
Heic gaudere decebit.  
Cinge tempora floribus,  
Ramulisq; virentibus  
Impedi aureolum caput.  
Namq; gaudia floribus  
Heic gaudere decebit.  
Tu Caro, simul integra  
Instar accine virginis,  
Nunc lubentius, audiens  
Te citarier, ad tuum  
Munus, huc aditum fer.  
Carpe gaudia, gaudijs  
Plena vis penitè bonis  
Basiare labellula?  
Jesulus meus, ô caro,  
Præbet eccè labellum.  
Carpe gaudia, gaudijs  
Hinc referta labellula  
Plenaq; hinc penitè bono  
Vividoq; ferēs mero

Vasa

Vasa lætitiarum.

Tinge labra semel mero,

Melle roscidulo semel

Tinge, quo pluit hoc labrum,

Non diu remorabere

Mecum deliciari.

Ore tunc hilaricanam,

Atq; laudibus efferam,

(Corde, carne simul meâ

Implicabor in hoc) Deum,

In quo deliciabor.

Ore floridulo, Deus,

Concinam tua gaudia.

Atq; cor, caro, gaudijs

His potit a prement solum,

Calce tripudiante.

## MEDITATIO.

**N**omen tuum, & memoriale tuum  
in desiderio animæ meæ, Deus Esa. 26.

meus, ideoq; cor meum, & caro mea

exultaverunt in te, Deum vivum.

Haud n. dormire sinit, sed cū gaudio

sopitâ excitat mentem fructuosa no-

minis tui recordatio. Plenum lætitiarū

nomen tuum, copiosa fit desiderij

E 2

merces

merces omnibus qui desiderant te in  
veritate. Nomen Dei, Deus ipse est;  
nomen Dei inscribatur animæ meæ,  
& ad Deum erit conversio mea, atq;  
omnis Jubilatio in illo, præ quo cœ-  
lum mihi & terra vilescunt. Quid  
enim mihi est in cœlo, & à Domino  
quid volui super terram? defecit ca-  
ro mea, & cor meum, Deus cordis  
mei, & pars mea Deus in æternum.  
Tangant terrenos desideria terrena,  
cum quibus transeant, tu, anima, ob-  
lectare in Domino, teq; imbutâ desi-  
derio a nocentatam futuri mundi, ca-  
ro, corq; intimâ quoq; componantur  
suavitate, per recordationē Nominis  
Dei, quo tota implebitur nova Hie-  
rusalem, ut nec egeat sole, neq; lunâ,  
Quoniam claritas Domini illumina-  
bit eam, & lucerna ejus Agnus. Ibi  
dealbata per sanguinem Agni, servies  
in templo Domini die ac nocte. Et  
qui sedet in throno habitabit super  
te, non esuriet, neq; sitiet amplius,  
nec cadet super te sol, neq; ullus æstus.  
Agnus enim in medio throni reget  
te, & deducet ad vivos fontes aqua-  
rum,

rum, ad quos inebriabere madore  
 suavitatum Domini, ex apparitione  
 ante faciem Dei, in cœlestibus; in ter- *Pf. 42, 4.*  
 rã viventium; in cœlesti *Pf. 27, 14.*  
*ἁγίῳ Πνεύματι*; in sanctâ civitate Dei, cui nomen Je- *Philipp.*  
 hovah ibi; in dilectis tabernaculis *3, 20*  
 Domini; in nova Hierusalem, ubi de- *Ez. ult.*  
 lectationes erunt in dextera Dei usq; *Pf. 84, 1.*  
 in perpetuum, adeò ut repetatur sine *Apoc. 21.*  
 intermissione *Pf. 16*  
*cor meum, & caro mea* 11.  
*exultaverunt in Deum vivuum!*

## SUAVIUM XVI.

Esaiæ 26, 9.

Anima mea desideravit te in nocte; &  
 spiritu meo in præcordijs meis  
 de manè vigilabo ad te.

**T**Empore, quò dubiæ post sera crepuscula lucis  
 Ordinat astriferos candida Luna choros,  
 Cœtera quo liquido demulcet membra sopore  
 Turba, jacet molli fœmina, virg, toro.  
 Evigilans tacitis circum præcordia votis  
 Tangor ego, sensus imperiosa meos  
 Intus orexis habet, non qualem Cypris orexin  
 Instillat madidis insidiosa procis.  
 Quum teneros intrat penetrabilis ignis in artus,  
 Et requiem pulso vota sopore negant,

E 3

Vota

Vota maritalis meditanti gaudia lecti  
Quò juvenes animos flectere suevit amor,  
Non; mea sublimes animi mens concipit ignes,  
Dum sua deterior corpora flamma coquit:  
Ardua caelestem castis super aëra pennis  
Evehor, haud quod me terra moretur, habet.  
Sursum animos, sensusq;, supinaq; brachia tollo,  
Alitibus sursum travolo luminibus;  
Ardentesq; preces, fumantia thura labellorum  
Offero, suspirio, languida suspicio.  
Estuo, nectareis sensus de vincula salivis,  
Queis fruor admorsis ore crepante labris,  
Ut, bone, contingit per longa silentia noctis  
Jesule, te avidulis figere basiolis;  
Utq; par as sensim post luctifonos singultus  
Pectoris ad charas talipedare fores,  
Tum, mea lux, nova lux, nova mens, nova gaudia  
Exoriuntur, obit, quicquid Adamus erat. (mentis  
Tum mihi surripior, fixisq; amplexibus harens,  
Deficio in partes vinule sponse tuas,  
Tum mihi nocte places solus, te cor, animus te,  
Te curat niti spesq;, fidesq; mea.  
Sic mihi cum volupe est longam producere nocte,  
Vix desiderio sufficit illa meo.  
Mane novo, caelo postquam pulcherrimus exis  
Lucifer, & roseo fulgurat in thalamo.

Caëli

Cælitus allicior, blandis mens illit a viscis,  
Rursus spiranti murmura corde dedit.  
Mystica suavicepo palpate labella susurro  
Efferor, angelicâ vix saturanda dape!  
Fare, age, quid differs? nostrares fascina mentis  
Fugia pande meis, vita, labella labris.  
Sic loquor, atq; iterum manibus pedibusq; hedera-  
Jungor in amplexus, arctius anguipedû; (rum  
Immorior leniè, mentemq; trahens exspirare  
Ex animo cupio, dummodo te capiam:  
Concido, solu-animâ tandem ceu morte perempta,  
Ne tamen in lapsu vellar ab ore tuo,  
Hoc agis, halitulum prius imbibitum ocyus efflas,  
Suscitat hanc animam nobilis aura meam!  
Sic redi viva redit mens, nec mea sola rediuit,  
Non nisi sic poterat mista redire tuâ.  
Suffice, quæ tua sunt in me: mens summa, tuumq;  
Fac renitere decus, quaeso, perire meum.

## MEDITATIO.

**I**Terum cogito nomen tuum, desi-  
deratissime Jesu, Lucet enim hoc  
nomen prædicatum, pascit recogita-  
tum; invocatum leniè & ungit, non  
literis, sed spiritu & veritate.  
In nomine tuo dulcedo est, si-  
cut in teipso. **JESUS** es, id est;  
B 4 mel

mel in ore, in aure melos, in corde jubilatio es, in adversis condimentum, oblectamentum in secundis. O quàm desiderat anima mea Jesum in nocte, & spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilo ad eum. Contemplantur oculi mei Jesum meum, quoniam illis lux est; desiderat anima mea Christum meum, quoniam illi vita est: sinit os meum ad Dominum meum, quia nectar est: labia agglutinantur amatori Deo meo; quia suavium est. Mundi cupedias deglutiunt cupediarum mundani; basijs circumvolitant ora puellarum; voluptatem desiderant. Verum desiderando enecat voluptas; inficit puella suaviando; mundus blandiendo dementat. Jesum verò qui desiderat, desiderij ejus apud Jesum compensatio. Cyrus, teste Xenophonte, quum dimidium poculum vini saporidi hausisset, alteram partem amicis bibendam propinabat; lita, quicquid saporis est in Jesu, ad dimidium gustare faciet amicos, qui diligunt in veritate, ut omninò, mundo amare scente, ejus sapore dulcescant, dicentes cum Bernharo:

Je-

*Jesu dulcedo cordium,*  
*Fons vivus, lumen mentium,*  
*Excedens omne gaudium,*  
*Et omne desiderium.*

Atq; tunc demum desiderabunt Je-  
sum in nocte, & manè vigilabunt ad  
eum, cum Propheta: & cum Bern-  
hardo iterum dicente:

*Jesum quero in lectulo*  
*Clauso cordis cubiculo,*  
*Privatim & in publico*  
*Queram amore sedulo.*  
*Cum Mariâ diluculo,*  
*Jesum quaram in tumulto,*  
*Clamore cordis querulo,*  
*Mente quaram, non oculo.*

Tunc renovabuntur in desiderio Jesu,  
& spiritu adhærebunt ei, & omnis sa-  
lus eorum in nomine Jesu.

## SUAVIUM XVII.

Esaia 61, 10.

Gaudens gaudebo in Domino, & ex-  
ultabit anima mea in Deo meo:  
quia induit me vestimentis salu-  
tis,

tis, & indumento justitiæ circum-  
dedit me.

Sponsa de seipsâ loquitur ad  
sponsum.

Quam pulchra, quam decora,  
Indusij lepore,

Et syndonis favore

Quam lecta, quam sonora,

Est virginella bella,

Est bella virginella

Tua, sponse mi tenelle!

Bombycino salutis

Circundatam benignè,

Tenellulam columbam

Voca tuam puellam;

Venustulam columbam

Voca tuam puellam;

Albamq; turturillam

Voca tuam columbam.

Et byssino salutis

Circundatam benignè

Cor elegantiarum,

Jecurq; gratiarum,

Dic sponsulam tenellam

O sponse mi tenelle.

Fragrantiam pudoris,

Placentiam nitoris,

Lubentia theatrum,

Pudore

Pudore temperatum  
Dic sponsulam tenellam,  
O sponse mi tenelle.  
Et sic tuam subinde  
Virgunculam vocato,  
Et sic tuam subinde,  
Sororculam vocato,  
Labellulum labello,  
Tenellulum tenello,  
Per simplicem favorem,  
Per mysticumq; amorem  
Ad sibilante voce,  
Conjunge saviando.  
Ut inter osculandum  
Amplexa, septuosas,  
Te sponsa, nexuosas  
Circum caput pontenter,  
Stringat manus amanter,  
Cauli procantis instar,  
Vinea; procantis instar  
Puelluleq; ocellos  
Quae basiat gemellos  
Amantis, & labella  
Quae basiat gemella:  
Sponsi procantis instar  
Qui basiat gemellos  
Puelluleq; ocellos,  
Qui basiat subinde

Label.

Labella, sed quid inde?  
Gaudent valenter ambo,  
Sic gaudeamus ambo,  
Tu cum, puellâ, sponso,  
Tu, sponse, cum puellâ.  
Hoc tale postulando,  
Pra gaudio perenni;  
Hoc tale cogitando,  
Pra gaudio solenni  
Salit mamilla leua,  
Serenitate Divâ,  
In te perenne, Jova!  
Nam syndonis favore  
Sum lecta, sum sonora,  
Indusij lepore  
Sum pulchra, sum decora.

### MEDITATIO.

*Col. 3.* **P**Ax Christi exulet in cordibus vestris, monitum est S. Apostoli. Hâc sententiolam in memoriam revocare, lautissima res est, cogitanti de pace, quam habemus cum Deo, per fidem Jesu Christi, quâ ceu veste nuptiali induimur ad æternam justiciam. In hoc byssino nuptiali, (quia byssinum *Apoc. 19.* sunt justificationes sanctorum) gaudemus

demus & exultamus, dicentes: Amen  
hallelujah, coram regnante Domino  
Deo nostro, nunc, & quando vene-  
runt nuptiæ agni, ubi deposito pallio *Apoc. 19.*  
mendicitatis humanæ in hac polluta  
sorte, Dei efficiemur pulcherrima  
sponsa, cui dabitur cooperire se byssi-  
no candido, seu stolâ lorâ, & dealbatâ  
in sanguine Agni, in qua digna repu- *Apoc. 7.*  
tata fuerit, apparere ante faciem Dei,  
ad decerpendum suavia, ab ore sua-  
viantis sponsi, & abstergenis omnem  
lachrymam ab oculis hætenus tribu-  
latæ puellæ; quæ indè laudem dicit  
Deo suo, cum omnibus sanctis, qui ti-  
ment Deum, pusillis juxta & magnis  
quotquot datum fuerit se cooperire *Apoc. 19.*  
byssino candido, & splendenti.

### SUAVIUM XVIII.

Cant. 2. 1.

Ego sum rosa Scharonis, liliū cōvalliū.

*S*um rosa Scharonis dixi, mea vita, deindè,  
*Te nominabas liliū.*

*Ceu rosa purpureo foliata repurpurat ore,*  
*Tempore nata vernulo;*

*Travolat, & tremulum Zephyris vexata, rubore,*  
*Caput nivale temperat;*

*Depluit*

*Depluit. & madidas dishalat, ab oribus auris,  
Madore noctis illita:*

*Sic in a purpureis connivent oscula labris  
Locata dente candido;*

*Nectara destillat, redolenti ridet amomo  
Oris tepentis aurula,*

*Aura tepet, fluit ore favus, mellita recumbo  
Odore fulta suavij,*

*Dum, Rosa, virgineo latitas ceu ubere clausum  
Inter papillas liliū.*

**D**icit Salvator Matth. 6. Considerate lilia  
agri, quomodo crescunt, non laborant,  
neq; nent. Dico autem vobis, quoniam nec  
Salomon in omni gloria sua coopertus est, si-  
cut unum ex istis. Hic lilia, quæ jubemur in-  
tueri, superare à Domino dicuntur formosi-  
tate Regum pulcherrimum Salomonem. Si-  
quidē, ut ille inter reges, sic inter flores liliū  
e. pulcherrimū, ut vel ipsius Chloridos seu Re-  
ginæ florū titulis insigniri queat. Arripiamus  
ansam hinc, exspaciandi in agrum scripturæ,  
ad contemplandum quod inibi ostenderetur  
liliū mysticum, odore fragrantissimum,  
quod liliū Christus est, animarum amabi-  
lissimus sponsus. Liliū est, ob odorem vitæ,  
ad vitam in ijs qui salvantur; liliū est ob co-  
lorem in passione purpureum; liliū deniq;  
est,

est, ob saporem vivificum. Olfacite odorem  
hunc ægrotantes animæ, & confortabimini  
in suavitate; gustate & videte, quoniam sua-  
vis est Dominus; *Psal. 34.* fove te rosam hanc  
in pectore, & inter ubera reponite. Christus  
& lilium & rosa est, Christus per fidem si ha-  
bitarit in cordibus vestris, *Ephes. 3.* rosam ha-  
bebitis, cujus spiraculo ab æternæ mortis foe-  
tore præservabimini.

## SUA VIUM XIX.

*Esa. 62, 6.*

Et gaudebit sponsus super sponsam; Et  
gaudebit super te Deus tuus.

Allocutorium sponsi.

**P**ercipe, dicã amabò, si quando amor ales amata  
Mite sub imperium juvenem jubet ire puella,  
Sponsus de thalamo referens, sufflamen amoris  
Antè oculos sponsam sacro veneratur honore;  
Multa natavilibus vibratum pectus ocellis  
Intima blanditis effingit gaudia fibris,  
Gaudia, que risumq; inter sociata serenant  
Verba joci; morsaq; tenerrima sibila lingua,  
Dum genialis amor fatali labra susurro  
Sufflat, & in roseis depingit suaviam malis:  
Sic, mea vita, meum cor susulit impete, & intus  
Gaudia sentiscunt imis resoluta medullis

*Pectora*

*Peētorā, quum sacra renovas consortia tēdā,  
Nec fugis amplexus, Forā miserente, salutis,*

## SUAVIUM XX.

*Pfal. 41,*

**Dedisti lætitiā in corde meo.**

**Responsorium Sponsæ.**

**O** *Mihi cælistuus dicendi destuat imber  
Lætitias quò sponse tuas magis ore rotundā  
Eloquar? illecebris mundi nil capta caducis.  
Basia, delicias juvenum, per bella labellorum,  
Oscula, sint alijs, mundi quibus igne medullas  
Fixit amor, sint & mulcentes corpora motus  
Extus, at interris heic itur ad intima cordis  
Delicijs, quas sola parant charismata sancti  
Flaminis, in teneras dilapsa per oscula mentes  
Dum mihi rorisuis totum stillantia guttis  
Basia propinas, geminis, sed mystica, labris.*

**Nehem, ult. v. ult.**

**Μνήθητι, μὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν εἰς ἀγα-  
θοσύνην.**












*Stella iterum appare**Hierosolyman*Dum pietas terram damnô ja  
Indicium cœli pro pieta*Procidentes adora*In gremiô Matris positum bre  
Quid facimus? Soliô jan*Angelus in somnis*Sideris elinguis nuper schola  
Angelicâ. pretium tam*Jubet, aliâ viâ redi**nem suam*Quisquis iter pietatis inis, &  
Tangere, ne relegas an*Fuga PUERI in A*Unde PUER, vel quò fugiat, qu  
Attamen esse PUER defini*Exsilium Pu*Discite, Christiadae, quæ vitæ  
Sub duce: vix illam cœp*Herodes elusum se v*Fit lupus, & rabie Vulpes elusa  
Nil agis, impietas æmula*Infanticidium*Dum sequitur profugû patrio  
Quò leuius currant, de

the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.